



140

13 20

1708

PRORECTOR
ACADEMIAE VVITTEMBERGENSIS
**GEORG.GVILELM.
KIRCHMAIERVS**

GRAECARVM LIT. PROF. PVBL.

CIVIBVS ACADEMICIS
SALVTEM PLVRIMAM DICIT
ATQVE
AD S. PENTECOSTES FERIAS
SANCTE TRANSIGENDAS
EOSDEM COHORTATVR.

1708





Ulta his temporibus & plena ve-
nerationis recordatio esse de-
bet *Spiritus S. in nobis*, τὸν ἐν οὐρ
πνεύματος, hac enim incompa-
rabilis phrasis biblica sanctissimi
Flaminis opus in procuranda
salute nostra ita nobis describi-
tur, ut ἐνεγκυρέσθω fieri non pos-
sit. Sed quo quid præstantius est in religionis nego-
tio, quoque aptius ad juvandam mentem nostram, eo
studiosius a Satana ejusque satellitibus in abusum tra-
hitur, perniciose hypothesibus collutulatur, imo ad
ipfas interdum blasphemias ac portenta errorum ra-
pitur. Nihil sanctius est Spiritu in nobis, nihil angu-
stius Deo in nobis; sed hæc a pluribus seculis ad or-
nandum fovendumque Hyloteismum & Pantheis-
mum, inquinatissimo diaboli consilio, adhibita sunt.
Consueta hæc erant Paganis horrendorum mysterio-
rum consciis, πνεῦμα ἐν ψυχῇ, apud Plutarchum, ὁ ἐν σοὶ^ν
Antron. Lib. Σεος, apud M. Antoninum, & Poëticum illud, *est Deus in*
III. §. 10. *nobis.* Non enim fanatici veterum scriptores aje-
bant saltem, animam a Deo illustratam, Deo plenam
esse, a Deo possideri, ferri, afflari, rapi, quibus formu-
lis enthuiaſmum philosophicum, poëticum, manti-
cum atque hieraticum describebant; verum etiam
Deum, & sigillatum spiritum ejus, extra Enthusiasmum
in homine esse, agitare vero eundem & impellere
ac ebrium reddere, dum Enthusiastæ phænomenon
durat, miro consensu scribebant, sive Pythagoram
Platonemque sequerentur, sive Stoæ nomen dedi-
sent, aut eclecticum philosophandi genus sectaren-
tur.

Hæc

Hæc vero ad Hyloteismum tendere, hoc est
ad teturum istum errorem, quod Deus causa interna
& materia saltem metaphysica omnium rerum sit,
imo ad Pantheismum, sive ad monstrum illud profli-
gatissimo cuivis Fanaticorum deamatum & in Spino-
sæ cerebro renatum, quod omnia Deus sint, tam
perspectum est illis, qui rem non perfundorie tra-
stant, ut omni dubio vacet. Non urgebo equidem, quod
universum illud enthuſiaſticum cum Deo commerciū
Pagani ex sola Philosophia, h.e. ex naturæ viribus no-
ſtraque adeo eſſentia, derivarint: nam Apollonius a-
pud Philoſtratum Philosophiam vocat Θεοτρόπον, alii
cum Platone διὰ φιλοσοφίας talia fieri dicebant. Hoc
præſertim ad nostrum institutum facit, quod τὸ ἐν ἡ-
μῖν ad Deum Spiritumque ejus ita applicarint, ut
nos Dei, & Deum nostri partem turpiſſima permix-
tione fecerint. Sic Cicero ſcripſit, *a natura Deorum*,
delibatas & baſtas animas noſtras, nec non ex mente di-
vina deceptas: Sic Seneca, ex mente Dei partem in boe-
pectus defluxiſſe: Sic M. Antoninus, ἐνδιγά vīvī εἶναι Θεὸν,
effe cuiuslibet mentem Deum, & inde fluxiſſe, nec non, lo-
rem ſua quandam particulam nature unicuique preſidem
ducemque dediſſe: Sic Epictetus, noſtram mentem μοῦ-
γαν ἢ αἰτούμαθα Θεῶν, portionem & deceptum Dei ef-
ſe. Eiusdem commatis est ſcintilla Orphicorum ſcri-
ptorum, vīc Platonicorum veterum, πνεῦμα recentio-
rum, particula divinæ auræ poëtica, & ſi quid eſt a-
liud ex eodem Deiſimi fonte haufum. Quando igi-
tur eo ſenſu Deus Spiritusque Dei in nobis eſſe dici-
tur, quo gutta in mari, anima in corpore, monas in
denario eſt, detestabili abuſu optima ſaluberrimaque
phrasis in errorem enormem rapitur.

Vit. Apol-
ton. Lib. IV.

c. 13.

Lib. I. de Di-
vinit. Lib. V.

Op. Tuscul.
Lib. I. Epif.

Lib. XII. §. 21
Lib. V. §. 19.

Differ. c.
XIV.

Pertinet hæc observatio ad condimentum illud
hæreticorum Platonicum, ut cum Terrulliano loquar;
dici enim non potest, quantopere τὸν ἡγεμόνα, δινον,
quod IN nobis est, Platonici abusi sint, & quanta cum
ἐνεργείᾳ πλάνῳ multi olim hodieque corrupti se hoc

2. Tbcff. II, veneno passi fuerint. Sed, cui non dictus Hylas?

II. Sane ἐγκόσμου Θεοὶ Platonicorum, quos a cœlestibus
distinguebant, ea mente excoigitati sunt, ut pro di-
no habeatur, quod creatum est, intindique vel par-
tes aliquæ, vel totus ille, Deus censeatur, quæ impie-
tatis profecto acropolis est.

Apparet inde, quam omnino caute tractari de-
beat etiam phraseologia sacra, partim ne subletias lo-
quendi formas recipiamus, partim ut probas etiam
locutiones ab abuso vindicemus. Quid enim mundi-
us isto, πνεῦμα Θεοῦ ἐν ὑμῖν; quod nihilominus occasio-
ne Platonicae perversionis in pessimum sensum Dei-
stæ hodierni rapiunt, ut vel Spinoza in titulo Tra-

1. Ioh. IV, 13. Etatus Theolog. Polit. divinum illud, Per hoc cognosci-
mus, quod Deus IN nobis maneat, quod de SPIRITU suo no-
bis dedit, ad execranda isthæc somnia trahat. Sed in
hoc etiam capite, quo arctius te adstringes ad phra-
sin biblicam, eo minus tibi ab errore periculum erit:
quod vel præsenti evincetur argumento. Non re-
cordor facile, veteres istos fanaticos abusos esse & ab-

Rom. VIII, uti potuisse genuina S. literarum phrasí, Spiritum S.
9. II. 1. Cor. habitare in nobis, quæ alteram, esse in nobis, optime ex-
III, 16, Iac. plicat, tutissimumque ejus usum reddit. Qui enim
II, 4.

B. Carpzov. accurate obseruent discrimen inter Spiritus S. opera-
Iifag. ad L. tionem, qua assilit, & qua inhabitat, atque hanc gradus
Symb. p. 251, potio-

potioris esse dicant, cum sint alii, quibus vel nullum
est cum Spiritu S. commercium, quia non habent
Christi Spiritum, *Rom. VIII, 9.* vel de quibus saltem di-
ci non potest, quod in illis sit & habitet; in propatu-
lo sane est, abusu nequaquam ferendo locutionem
hanc biblicam ad Hyloteismum trahi, ac si pars ali-
qua essentiæ humanæ esset Dei Spiritus, eoque is mo-
do in nobis esset, ad quam impietatem perversa Fa-
naticorum generatio nostra ætate certatim proruit.
Spiritus enim ille, qui in credentibus est, non est il-
lorum per essentiam, non ut pars, nec ut apotelesma
eorum in illis est, sed *acceptus est*, ut donum extra-
nostræ naturæ ambitum positum, *Rom. VIII, 15. 1. Cor.*
II, 12. 1. Io. III, 14. Vnde, quod caput rei est, Paulus
explicaturus, quo pacto Spiritus Dei in nobis sit, *dan-*
di vocabulum præponit, eum ut datum nobis, sigil-
latim ut ~~αἴρεσθαι~~ datum, in cordibus nostris esse,
pronuntians. Non igitur, vel ad spiritum aliquem
mundi, vel ad θεον aliquod physicum in homine, vel
ad vim animæ fanaticam, vertendus est animus, quo-
ties divina illa de Spiritu Dei in nobis eloquia auscul-
tamus, sed monstra potius illa omni studio fugienda
sunt. Indignum enim Christiano est, Spiritum il-
lum, qui K^og^o est, qui a Patre & Filio exit, confun-
dere cum vi aliqua creata, nedum cum chimæra &
ægrotantium ingeniorum partu. Longe etiam in-
dignissimum est, inenarrabiles Dei in nobis operatio-
nes nobis ipsis adscribere, nomine Spiritus divini di-
cic causa accepto. Evidem contra hunc Deismum
in veteri jam Ecclesia Hieronymus, *Homil. XIII. in*
Cap. I. Genes. & Augustinus, Epist. ad Marcell. bene de-
pugnarunt: imo in Manichæis jampridem monstra-
ista

ista Canones condemnarunt, quæ postliminio in Scholas Christianorum reduci, serio dolemus. Iraque a Platonicis ejusmodi, Cabballisticisque & Boemianis somniis caveat sibi, qui bonam mentem amat: non hic excusationi locus, sed seriae dehortationi est, postquam malum illud tam late atque impune serpit.

Analect. Ien.
ed. p. 347.
348.

Voluit quidem nuper hæc talia a Spinozismi crimine liberare non incelebris scriptor, Theologicam nunc cathedram occupans; sed a Deismo quovis nunquam ea liberabit, cum dilucida exstant loca hominum isti factioni addictorum, quæ Spiritum Dei ita nostrum faciunt, ut pars nostræ essentiae præstantior ~~anterior~~ ^{operatio} Dei habeatur, aut saltem gradu uno, vel altero, per emanationem meram, vel expansionem & revelationem, a culmine essentiae divinae differre crederatur. Neque a Spinozismo absolvit prorsus possunt,

Myster. mag. postquam Boemius confessus est, omnem rerum es-

gni p. 29. §. sentiam nihil aliud esse, quam Deum revelatum;

7. De tribus Hylotheismum vero palam profitentur cum eodem

Princ. P. II. ^{πάντη}, scribente, Deum mundum creantem non ali-

c. 1. §. 3. am habuisse materiam, quam essentiam suam.

Hic præsertim commemorare operæ pretium est vaferrium Satanæ consilium, qui cum naturæ lumen ductumque ad religionem per Hylotheismum barbarum suppressisset, ejusque restorationi a Philosophis tentatae per Hylotheismum philosophicum restitisset, etiam Evangelii lumen hac arte obfuscare voluit, cum constet, pestem illam non vehementius, quam post Christum natum, desæviisse. Tum vero præsertim ^{πνευματι} vocabulum, quod antea ad fanaticos usus traductum non recordor, sensu fa-

natico



natico adhibitum est. Mihi quidem Plutarchus pri-
mum succurrit, hoc animo sensuque scribens, θεον *In Axiocho.*
ἐντως ἐνν̄ πνεῦμα ἐν ψυχῇ, sicut in Zoroastrinis legitur, εὖ
esse ἐν ψυχῇ. Post hunc Iamblichus, de vate Delphi-
ca ajens: εἰσιτὴν πανταχῇ δίδωσι τῷ θεῖῳ πνέυματι. Nul-
lum est dubium, voce πνέυματος in sacris Christiano-
rum frequentata, mystas iniquitatis, ut fieri solet,
eam in pejorem sensum usumque traxisse, eo mali
genii consilio, ut corrupta suspectaque omnia redderet.
Hinc cum in Trinitate Platonica tertium membrum
εὖ appellatum sit veteribus, recentiores isti vocem
πνεῦμα, cacozelia insigni, adhibuerunt. Qua quidem
Trinitate Deismum stabilire infastus genius allabo-
ravit. Nam cum tertium in Triade illa haberetur
Spiritus, vel vis creatarum rerum omnium, & qui-
quid in illis vivum vegetumque est, quærebatur hac
arte Dynamotheismus, ut ita loquar: cum secundum
in eadem statueretur λόγος quidam mundi, vel in-
telligibilis mundus, rerumque omnium idea, propor-
tio, κ.τ.λ. tendebant ista ad Ideotheismum, ut utrin-
que forma rerum omnium, tam exterior, quam in-
terior, sive vis & idea agendi, Deus diceretur: deni-
que cum primum Triadis hujus membrum dicere-
tur τὸ ἐν, unum illud, totum, universum, pater, ex
quo omnia egrediantur, etiam illud quæstum est fa-
tanis fraudibus, ut materia omnium rerum fieret
Deus, atque adeo Hylatheismus turpissimus stabi-
liretur: quod eo certius est, cum Platonici juniores *Proctus,*
manifeste scripserint, Trinitatem in omni mixto exi. *Theol. Plat.*
stere, non sectus ac Fanatici e Christianis orti in ani-*Lib. III. cap.*
ma aliisque rebus Trinitatem dari docuerunt. Ni-*XII.*
hil *Ez. Stifel.*
Tr. IV. p. 8.

hil huic Triadi cum sanctissima Trinitate, quam ve-
neramur, commune est. Nam ut Patris & λόγου vo-
ces, quando sacras literas sequimur, nequaquam pro
materia & idea rerum omnium capienda sunt, ita
nomen quoque Spiritus contra ultum Biblicum eo ab-
reptum esse confitemur.

Utinam omnes hic sibi sedulo caverent, neque
paterentur, memores Paulinæ increpationis, ad ~~σο~~
~~χείρα της οδού μας~~ florem mysteriorum detorqueri. Vos,
Cives lectissimi, monitos volumus, ut S. Flaminis
dona sancte habeatis, atque per instantes ferias re-
verenter nobiscum meditemini, vitamque ad glori-
am tam benevoli Numinis & decus Evangelii com-
ponatis. Habitent in vobis Spiritus ille, donorum
excellentissimorum, quæ studiis vestris & saluti de-
stinata sunt, auctor datorque, non ut hospes transfe-
at, sed quæfita tede, ita intra vos persistat, ut inenar-
rabilis nexus vester sit, vos ejus tempora constantissime
maneatis. In cuius felicitatis deprædicationem signa
etiam gratæ mentis date, accedite ad aram, & Inter-
nuntiis organisque S. Spiritus in hac Ecclesia, una-
cum nobis, munusculum afferte, ex ore eorum
luculenta S. Spiritus testimonia receptu-
ri. P. P. Feria I. Pentecostes,
A.C. cl̄o CCVIII.

VVITTEMBERGÆ.
PRELO CHRISTIANI SCHROE DTERI ACAD. TYP.

Wittenberg, Diss., 1708

VD18

ULB Halle
005 359 333

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



1708
13 20
**PRORECTOR
MIAE VVITTEMBERGENSIS
ORG.GVILELM.
CHMAIERVS
ECARVM LIT. PROF. PVBL.
VS ACADEMICIS
TEM PLVRIMAM DICIT
ATQVE
NTECOSTES FERIAS
NCTE TRANSIGENDAS
EOSDEM COHORTATVR.**